DE LINGVIS ORIENTALIBVS

DEQVE

RE ANTIQVITATIS LITTERARIA

THESES, ATQVE EXERCITATIONES

QUAS

PVBLICO TENTAMINI OFFERT

IOACHIMUS BERGON ET NAVARRO,

Phil. Mag.

IN ACADEMIA VALENTINA,

DIE 29 MENSIS *Julii* ANN. MDCCLXXXVI.

ADERIT

D. D. PASCHASIVS VINCENTIVS LLANSOLA,

Phil. Mag. atque olim Prof. S. Theol. Doct. Praep. et Canon. Candid. Matrop. Val. Eccles. Sub-Sacrist. et Magist. et in Acad. Val. Cath. Ling. Hebr. olim Prof.

Hora ☉ 4.

VALENTIAE

APUD BENEDICTUM MONFORT.

Anno 1786.

ILLVSTRISSIMO. DOMINO
D. FRANCISCO. PEREZ. BAYER
REG. INSIGNISQ. ORDIN. CAROLI. III.
A. SANCTIORIB. REG. CONS. ET. CVB.
ARCHIDIAC. ET. CANONIC. VAL.
REGIAE. MATRITENS. BIBLIOTH.
PRAEFECTO
AMOEN. MVSAR. AMOR. AC. DELICIIS
SEVERIOR. PATRONO. ATQ. PATRI
ORIENTAL. PRINCIPI. AC. DVCI
STVDIORVM. LAVDE
RERVM. GESTARVM. GLORIA
DIGNITATVM. AMPLITVDINE
QVA. LATE. PATET. ORBIS
SVPRA. QVAM. DICI. POSSIT
CELEBRATISSIMO
REGIAE. PROLIS. INSTITVTIONE
FAVSTO. HISPAN. OMINE
SVSCEPTA
DE. REGE. SVO. DEQVE. SVA. GENTE
OPTIME. MERITO
QVI
IN.ORIENT.MINERV.SINV.ET.CONTVB.

R. 108017

AB. INEVNTE. AETATE
ALTVS. ATQVE. EDVCATVS
OMN. FERE. LINGVAR. COGNITIONE
POLLENS. POTENSQVE
ASIATICAS. DIVITIAS
IN. ORAS. QVOND. NOSTR. ADVECTAS
OBLIVIONE. POSTEA
NON. MINVS. QVAM. RVDERIBVS
SEPVLTAS
HERCVL. LABORE. ORPHEAQ. INDVST.
VELVT. AB. INFERIS
REVOCARE. COEPIT
OPVS
DIV. VOTIS. EXPETITVM
FRVSTRA. SAEPE. TENTATVM
VNI. TAMEN
HISPANO. HEROI
COELITVS. CONCESSVM
QVI
PHOENIC. CARACTERES. ATQ. SERM.
E. PROFVNDISSIM. VETVSTAT. PVTEIS
ERVENS
ET. HEBRAEO-SAMARITANOS. NVMOS
SCRIPTIS. CEDRO. DIGNIS
IN. REIPVB. LITTERARIAE. LVMEN
ADDVCENS
AD. IMMORTALE. OPVS
VIAM. PRAEMVNIVIT
HISPANISQVE. SVIS
AD. ASIATICOS. THESAVROS
INTRA. DOMESTICOS. PARIETES
FATO. RECONDITOS
PRAEVIA. LINGVARVM. PERITIA
EFFODIENDOS
FACEM. PRAETVLIT
QVO
EXTERARVM. GENTIVM. STVPORE
HANC
QVAE. HACTENVS. DEFVIT
IBERICAE. LITTERATVRAE
GLORIAM. PARAT
TANTO. HVIC. VIRO
PATRIAE. SPLENDORI. MAXIMO
AC. BENEFACTORI. MVNIFICO
STVDIORVM. AMPLISSIM. MAECENATI
CONCIVI. OPTIMO

IOACHIM. BERGON ET NAVARRO
HVMANITATIS. AC. BENEVOLENTIAE
IN. SE
HAVD. IMMEMOR
IPSIVS. STVDIA
PRO. HARVM. LITTER. INSTAVRAT.
AEMVLATVS
HAS. DE. ORIENTALIBVS. DIALECTIS
DEQVE. RE. ANTIQVIT. LITTERARIA
EXERCITATIONES
IN. AET. DEVOT. ANIM. MONVM.
D. D.

DE SCRIPTIONIS ORIGINE,

ATQUE APVD VNIVERSAS GENTES PRIMAEVA PROPAGATIONE.

Paradoxo simile fortasse videbitur in tanta litterarum palaeographicarum luce veterum crambem recoquere, signa verborum verbis ipsis coaeva praedicare, atque scribendi originem ab ipso primo-Parente repetere. (1) Id nihilominus lubenter facio, atque pronuncio. Non tamen (2) Idcirco aniles Gemaricorum revocabo nugas, qui litterarum primigenios characteres, aut Adamo cogitanti pertribuunt, aut Angelo revelanti confingunt. Vtrumque explodimus. Hieroglyphicorum tantum eadem cum hominum genere incunabula fuisse adserimus. (3) Neque opus ad id fuit divino extra ordinem auxiliante lumine; satis superque erat oculos percellens, mentem illustrans natura. Haec fuit igitur prior scriptionis Epoche. (4) Successit altera, quae Semideum (si quis unquam) sortita, vidit pro rerum signis signa sonorum, atque pro characteribus finem habituris numquam, simplicissima delineamenta conspexit, quibus infinita possent enunciari. Tamen unica observatione omnia litterarum elementa excogitata fuisse puto, unumque ipsorum artificem.

(5) Sexdecim illa esse quae ab initio extitere, concilio. (6) Quas vero vocales appellant litteras recentioris offici-

nae fuisse suadet totius vetustatis silentium. (7) A Hieroglyphicis denique desumtos esse primaevos illos characteres non dubito.

(8) Ergo non unum Alphabetum, sed plura transcripta prioris exemplo fuerunt? Non obsto. (9) Abeant igitur in malam crucem vesana illa Thalmudistarum deliramenta, atque mysteriosae characterum suorum interpretationes. (10) Procul a nobis sint supputationes Geometricae, nedum Astrologica illa sui Alphabeti progenies. Quid plura? (11) Fictitia est aut incerta saltem singulorum characterum figurata significatio. (12) Nisi enim me fallit animus, id unum de his omnibus pronuntiare possumus, non temere prorsus excogitatas figuras litterarum esse, sed vagam tamen ipsis, et nunquam unicam similitudinem remansisse. Hinc tanta in ipsis interpretandis varietas, tot rixae, tanta philacteriorum dilaceratio. (13) Sed ut ad illarum adinventionem redeam, quandonam (inquies) signa ista proxima verborum lucem hominum aspexere? Antediluvianam fuisse censeo eorum originem. (14) Quaenam vero illa fuerint, aut num aliqua ex iis quae extant priscam illam formam retineant, incertum omnino. Vaticana enim Alphabeta, quid aliud sunt quam vigilantium somnia, aut mendacia in Vestae sacrario reposita?

(15) Ergo iam obtinente litterarum usu, universali cataclysmo castigatus est hominum fastus, atque libido, cumque ceteris benemultis ingenii monumentis diversa eousque excogitata Alphabeta periere. Quod Noacho familiare fuerat (ut suspicor) reliquum fuit posteritati suae. En tibi novum fortasse systhema Palaeographicum, unde

paradoxum aliud modo consurget, quod tamen nonnihil attulit lucis, ut e tanta vetustatis caligine Deo auspice emergerem.

Quum ad renascentis mundi primordia deventum sit, atque unum iam Alphabetum alteri humani generis Parenti tributum, nova Epoche exsurgit, unde litterarum quae extant repetatur exordium. Habes tibi. (16) Ab illis qui cum Noacho naufragium evaserunt characteribus sumere originem quotquot Hebraici dicti sunt, et quotquot ab Hebraicis desumtos fuisse deprehensum est. (17) Sed enim fuit quaedam filiorum Noachi propago, quae vel genio indulgens, vel barbariei, oblita parentum simpliciori scriptura hieroglyphica revocavit; quas inter gentes (18) AEgyptios, Sinenses, et Indos numerare possumus. Fecit id scribendi usus longe rarissimus, populorumque semper peregrinantium, immo et inter se dissidentium consuetudo. (19) AEgyptii vero utpote prae ceteris gentibus longe lateque dispersis perpoliti, facilius morem priorem assumserunt, erutis ex suis ipsorum symbolis elementis litterarum. (20) Quod ut factum fuit, barbarae reliquae gentes, vel ab AEgyptiis characteres mutuati sunt, vel novos ex symbolis suis confinxerunt. Quare (21) non adeo tamquam fabulosa traducenda est Anii sententia, vetustaque Hispanorum traditio, qui a tempore Nini litteras se habuisse iactabant.

En itaque tibi utraque scripturae origo, duaeque characterum propagines.

DE PRIORE CHARACTERVM SVRCVLO.

Dum nostro systhemati conformando incumbimus, quaedam prius veluti ipsius fundamenta statuta volumus. (22) Incerta profecto petunt qui ex gentium quantumvis cultarum traditionibus occultissima vetustatis arcana rimari student. (23) Neque minus oleum, et operam sorti committunt, qui ex etymologiis populorum, ipsorum originem, atque Epochas demonstrativo calculo videntur complecti. (24) Eumdem in modum vanum opus vanusque eorum labor, qui Idololatriae fundamenta in onomastico Deorum systhemate se inventuros esse putant. (25) Certum quoque est (ut propius ad rem accedamus) tot fuisse vicissitudines sicut gentium, ita et litterarum, ut merito censeant Viri clarissimi, a nemine cuiusvis aetatis characteres, nisi data pro singulis quibusque opera posse perspici. Quis ergo ex dissimilitudine characterum, post tot annorum revolutiones, successivam ipsorum progeniem diffitebitur?

Hoc posito, AEgyptias litteras quasdam primaevas fuisse puto, ex ipsis (26) symbolis suis immediate depromtas, et aliarum multarum veluti matrices. (27) Contigit id, ut arbitror, non multo post Noachidarum divisionem, atque propagationem. (28) Recentiori vero aetate relictis paucis illis verborum signis populari, et communi usui, hieroglyphicorum significatio, veluti altera arcani disciplina, Sacerdotum, atque Primorum fidei fuit concredita. (29) Non unicum fuit AEgyptiacum Alphabetum.

(30) Si ab illo alia numero plurima originem suam traxisse dicas, non repugnabo: quaenam vero illa sint, temere pronuntiarem. (31) Graecis solum characteribus ortum AEgyptiacum lubenter adsero. (32) Haud aegre tamen dixerim, vel initio iam AEgyptiacarum quarumdam litterarum inventores aliquid a primaevis Phoenicum sumsisse litteris, vel aliquas secum AEgyptios invexisse in Phoeniciam, vel Cadmum ex Phoenicum consuetudine aliquid ex ipsis propriae characterum constructioni admiscuisse; quo sensu, et a Samaritano Alphabeto Pelasgicum enatum esse concedam.

(33) Graeci igitur primigenii characteres sexdecim fuerunt. (34) Quod quum adstruitur, Cadmo Phoenicis fratri gloriam illam quam tota illi adseruit antiquitas denegare non ausim. (36) Immo vero suspicor, nomina infinita illa quibus harum litterarum institutor significatur, vel eumdem Cadmum denotare, vel commentitia esse. (37) Quantae vero caligines apud AEthnicos Scriptores affusae sint cognitioni vetustatis, ipsorum numquam ad concordiam revocandae sententiae praedicant de recentiorum characterum institutore. Quare, sive Palamedem, sive Epicharmum, sive Euclidem, sive Simonidem dicas, id unum arbitror, primum excogitatas fuisse litteras adspiratas φ χ θ, (38) tum duplices ψ ξ, demum vocales longas ω et η; litteras autem τ qui Cadmaeam Epochen tribuere refugiunt vehementer errant. (39) Lex ipsamet analogiae postulat, ut singulas singulis Auctores pertribuam, atque Scriptores veteres labili pede in hisce definiendis inimicos explodam. (40) Quid vero de Ζ? Cadmaea non fuit,

adeoque optime duplici sono profertur. (41) Errant profecto qui a Roman. Imperatorum aevo repetunt litteram C; tamen recentior est, ni fallor, forma altera Σ, (42) Verum est denique, quod nonnulli memoriae tradiderunt, Atticam non nisi post integrum saeculum, recentiores exc:pisse litteras, habesque proinde, cur Attici characteres τῶν παλαιῶν cognomine donarentur.

(43) A Graecis litteris ortum traxerunt Latinae, Pelasgis, ut fama fert, coloniam adsportantibus. (44) Inde transmigravere ad Etruscos. (45) Qui tamen ipsas in proprios, ut dicunt, mores conformantes, minusculas postea quasdam Latinis mutuarunt. (46) Errat Polybius qui Y, K, et Z Latinos characteres recentioribus adscribit. (47) Novissimis potius Latini Imperii temporibus confictae censendae sunt G pro C, F pro V, vel pro Ph; X pro Ks, Q pro Ku, itemque, sed infelici eventu, Claudii antisigma Ↄ (48) Denique Illyricum Alphabetum alterum eamdem cum Latino sortitum est originem, (49) atque a Latino quotquot fere characteres per Europam obtinent, ortum atque progenitem traxerunt.

DE ALTERA CHARACTERVM PROPAGINE.

Antediluviana litterarum forma apud gentes quasdam permansit etiam post divisionem humani generis. Atque haec ipsa est a qua prosiliere Alphabeta numero plurima (50) Samaritanum, (51), Phoenicium, atque Punicum, (52) Chaldaicum, (53) Syriacum, (54) Arabicum, atque (55) ut ex Barthelemii observationibus liquet, Palmyreni-

cum. (56) Quodnam vero illud fuerit primaevum, Noacho filiisque suis familiare, quis nisi insano concitatus divinandi oestro conicere audebit? (57) Dum horum autem vetustas inquiritur, Arabici, atque Syriaci novitate extra omnem dubitationis aleam constituta, Palmyrenici ignota Epoche, Phoenicioque charactere parum a Samaritano discrepante, *hanc inter*, et vulgare Hebraicum quaestio tota agitur ultro citroque. (58) Quam ut dirimamus, atque ad quo Iove iudicium fiat, plura prius dilucidanda, et constituenda sunt. Ac primo quidem Samaritanum, et Chaldaicum Alphabeta unum idemque Mosis tempore fuisse censeo. (59) Verum Eupolemus, et Artabanus, qui Mosi litterarum inventionem adtribuunt risu potius excipi quam refelli debent. (60) Deinde vero characteres illi pristinam apud Chaldaeos exeuntes formam politiorem alteram et concinnam, *qua nunc sese exhibent*, assumsere. (61) In Hebraeorum autem populo sacri illi digito Dei consecrati obtinuerunt *ad Babylonicam usque transmigrationem*. (62) Hoc tamen longo annorum curriculo ipsos illos nonnihil a veteri typo, et figura deflexisse, haud temere coniicio. (63) Itaque 17 illae quae ex Samaritanis numis liquent litterae primigeniae sunt, (64) atque post reditum a captivitate ex Chaldaeorum disciplinis adscita כ. (65) Samaritani vero quatuor insuper peregrinos characteres etiam ante Templi excidium civitate donarunt. (66) Liquet igitur Esdram pristinos Bibliorum formas obliteratas reliquisse, Assyriorumque usum facto suo firmasse. (67) Liquet etiam numos omnes, vel nicios, quicumque Assyrias characteribus insignati proferuntur tam-

quam Iudicum aut Regum aetate cusi, adulterinos esse. (68) Illo itaque Hebraicae ac Samaritanae scripturae fato Chaldaica apud Iudaeos obtinuit etiam tempore Dominici adventus, neque cum Urbis Hierosolymitanae ruderibus *sepulta*, sed *Rabbinorum cura servata*, et *adornata*, usque ad naenias. (69) Praecipue autem a Thalmudicis DD. recentiore punctorum adinventione adaucta, immutata etiam, immo et corrupta est. Quocirca, quid in re implicatissima censeam, paucis exponam. (70) Ab initio litterarum Hebraicarum fuisse aliquem vocalium usum, negare non ausim; quinam vero ille fuerit prorsus nescio. (71) In illis tamen א ה ח ת ע constitisse, aut ipsis saltem adfuisse coniunctum sonum aliquem quantumvis imperfectum, *suspicor*. (72) *Nihilominus vulgatum Maselefii systhema*, (73) nec non Freretii, qui pro Dialectorum diversitate puncta excogitata censuit, sententiam, procul a nobis esse iubeo, ne forsan pro Numine larvam complectamur. Quin etiam nec desunt alia lectionis adminicula, quae loco habito exponam. (74) Iam vero, quo auctore, quove tempore puncta illa adinventa sint, incertum omnino, atque Tourmontius, qui ex Regiis M. S. pro illorum a saeculo tertio antiquitate rem confectam putat factum sibi sponte facit. Immo *vero neque 4 saeculo τὸ φαινόμενον* illud litterariae Reipublicae illuxisse, certo certius arbitror.

(75) Hebraico, vel Samaritano caracteri similior altus non est Phoenicio, neque qui graviora (76) vetustatis argumenta prae se ferat. (77) Ab illo Punicus est sive Carthaginiensis, sicut structurae indoles fidem facit numorum

ope, qui litteraturae bono in Africanis, Siculis, Melitensibus, atque *Hispaniensibus oris quotidie effodiuntur*. (78) Verum vanus saepe in ipsis interpretandis Pellerini, Swinthonis, Barthelemii, summorum Virorum, labor quid corrumpant annorum vicissitudines testatur, sed Phoenices quoque aliquid e Libicis vetustis characteribus usurpasse, coniicere iubent. Faxit Deus ut Cl. Balerii, qui ad hanc provinciam capessendam viam labore munivit, exemploque suo faces accendit, vestigia sectentur Hispani nostri, erutisque Phoenicijs vetustatis monumentis in oris nostris sepultis, ad Cadmaeam litterarum originem glorioso et ignoto hactenus itinere perveniant.

(79) Syriacas litteras non admodum vetustas esse iudico; sed ante I. C. tempora diu iam obtinuisse. (80) Puncta illa quae pro diverso situ diversarum vocalium vicem gerunt litteris ipsis coaeva non sunt, sed Apostolicis tamen temporibus paulo recentiora. (81) Graecarum vocalium usus originem quamvis a Leone X. Pont. Max. repetant nonnulli, saeculo tamen Ecclesiae IX. recentiora sunt.

(82) Si *Arabum* nomine populos intelligis, qui quas nunc illi obtinent regiones quovis tempore incoluerunt, antiquissimum, et nunc forsan ignotum scribendi usum fuisse apud ipsos, dicas velim. (83) Verum si de Arabum Muhamedanorum gente, ac progenie sermo sit, ipsorum Alphabetum a Syriaco enatum, haud absurde putat Lacrozius. (48) Non tamen unum idemque fuit ab incunabulis; sed rude admodum circa Mahumeti Epochen, tum aliquantulum concinnius, demum a saeculo AE. V. X. *novo splendore donatum*.

DE LINGVIS GENERATIM,

EARVMQVE ORIGINE.

(85) Qui loquelam nescio quam ingenitam hominis naturae dixerunt *inanes potius sonos* quam modulatas certa lege certaque significatione voces *videntur intellexisse.* (86) Indidit Deus primo homini, sicut et cognitionem rerum, ita et loquutionem. (87) Neque tamen putandum est, quotquot postea pro singulis quibusque rebus verba *extiterunt*, divinitus initio iam fuisse tradita; immo vero Adamum *ex infusa quorundam* verborum, veluti simplici, ac primigenia cognitione, *creaturis omnibus* quarum notio quasi composita in mente gignitur congrua indidisse vocabula, certissimum est. (88) ¿Quaenam vero lingua illa fuit homini ipsi coaeva, divina, et simplicissima, qua ipse imperio dictoque suo universa animantia convenire conspexit? *Hebraica* profecto. (89) Verum qui hanc ipsam pront Mosi familiaris fuit *integram* illibatamque ab Adamo servatam esse propugnant, Divinam Omnipotentiam ad inania usque deducta volunt. (90) Satius est si dicamus, etiam ante diluvium aliquid primaevae *simplicitatis* amisisse, praecipue tamen in Noachi progenitoribus mansisse *custoditam.* (91) Post cataclysmum ad Babelicam usque aedificationem, nulla *primaevae* loquelae corruptio facta fuit, quae sensus communis intelligentiam retardaret. Dialectos tamen aliquas enatas iam esse, gravissimis momentis conjicio. (92) Temere nimis

Scripturae verba ad *trutinam prophani iudicii* revocat, et eludit Funccius, quum in campo Sennaar non verborum, sed animorum scissionem factam fuisse praedicat. (93) Nihil nos cogit ut 72 linguas exinde profectas arbitremur. (94) Heber Turris aedificationi non adfuit, immo neque ipse solas insanam cogitationem detestatus est. (95) Quare iure merito *in familia ipsius*, *primigeniam linguam servatam* esse censemus. (96) Igitur plurimae in confusione gentium linguae natae fuere, omnes inter se origine, atque natura diversae. Post tantum vero saeculorum tractum, qui fieri potest, ut ex iis quae in meridionalibus Africae oris, in glacialibus regionibus, in orientali Hemisphoerii nostri *termino*, in *latissimis* Antipodum tractibus obtinent, calculo primigenias teneamus atque numeremus? Illas tamen, quae nullam in reliquis originem habuisse dicuntur, ideoque a confusione Babelica recta descendere, notas faciam. (97) AEgyptiaca a Mesraim filio Cham. (98) Illyrica a Thyras nepote Iaphet. (99) Germanica ab Ascenez filio Iaphet, vel a Tuiscone Semi pronepote. (100) Graeca a Iavan filio Iaphet. (101) Latina incertae originis. Aliae quoque non desunt de quibus idem dicunt Scriptores; dicunt inquam non probant: quare nec eorum sententiis subscribimus. De Dialectis ab illis quasi genitis, vel eadem incertitudo liquet, vel certior est *earum origo*, *quam* ut Theses, vel demonstrationes expostulet.

DE HEBRAICA LINGVA, EIQVE AFFINIBVS.

(102) Primaeva illa lingua cum Noachi familia ab obruenti aquarum gurgite servata, et in confusione gentium sarta tectaque custodita Israelitarum progenitoribus ipsique deinde genti familiaris fuit. (103) Hebraicae nomen sortitae sunt, et natio, et lingua: qui causam anxie scrutantur, an ab *habar* an ab *heber*, gerras quaeritant. (104) Mysteria quidem characterum Rabbinica risu excipimus, verum linguae simplicitatem, atque congruam significationem verborum nemo sanae mentis inficias ibit. (105) Haec illa est qua Abraham usus fuit etiam *alieni labii* populo circumdatus. (106) Haec etiam in terra Gessen obtinuit apud posteros Iacob, dum universa AEgyptiorum natio peregrinam loquelam usurparet. (106) Haec apud Hebraeos constantissime permansit, quamdiu permansit respublica Hebraeorum. (108) Porro quamvis ab Heber usque ad Mosem quodam omnium rerum fato nonnihil collapsam fuisse non negem, a Mose nihilominus ad Babylonicam usque transmigrationem integram traductam fuisse, pro certo habeo. (109) Atque illa denique prisca loquutio non in filiis tantum Iuda, et Beniamin, sed in universa terra Israel, qua late patet, obtinuit. (110) Post reditum e captivitate non penitus fuit obliterata, sed apud Legis-peritos saltem atque Doctores perstitit. (111) Verum statim ac alienae dominationi subditi caeperunt esse Iudaei, atque prisca statuta pertaesi, aliena in consortium adscire, quod quidem forsan contigit non multo post

reditum, vetustae loquelae usus simul cum morum simplicitate, ilicet periit.

(112) Hebraicam linguam ab ipsa sui origine scissiones passam fuisse, supra diximus. Verum et id post diluvium contigisse, modo constituimus. (113) Immo et Dialectos eius nihil cum confusione Babelica commune habuisse iudicamus. (114) Sed tamen quae ante divisionem gentium vix a genitrice sua diversae fuerant, postmodum quasi degeneres factae sunt. Accingamur igitur, et ad affines illas primigeniae linguae Dialectos properemus.

(115) Immerito Phoeniciae, vel Cananeae linguae vetustas prae reliquis ab Hebraica ortis extollitur. (116) Namque et gens et loquela in Esau Idumaeorum Parente habuerunt incunabula. (117) Ea tamen est quae maiorem cum primaeva illa lingua similitudinem custodivit, donec advenientibus Israelitis una eademque cum matre sua consurrexit. (118) Tamen Tyri, ac Sidonis incolas veterum Cananaeorum progeniem ab Israelitarum commercio seiunctos, ac peregrinarum gentium consortio deditos, et patriam loquutionem servasse, et peregrinum aliquid ipsi admiscuisse, non dubito. (119) Phoenicum loquela una cum gentis colonia ad Africanas oras translata fuit. (120) Temporibus autem quae I. C. Nativitatem praecesserunt corruptissima evaserat. (121) Nihilominus pristinae loquutionis studio politiores saltem Carthaginienses gentes incubuisse, evincunt locupletissima monumenta. (122) Tandem saeculo Eccl. IV. vix iam ulla illius remanserant vestigia.

(123) Secundum affinitate locum, vetustate primum, tenet profecto lingua Chaldaeorum. (124) Quamvis initium ignotum, eam tamen a divisione gentium extitisse crediderim. (125) Si illi qui antediluvianam pronuntiant monimenta producant antediluviana, causa dicta erit; interea neganti sententiae calculo nostro subscribimus. (126) Ipsa Babyloniam pro sede habuit, atque (127) Persas etiam Medosque victores suae dominationi subiecit. (128) Dumque Graecae linguae cum Alexandro Orbem universum subiuganti concessit, (129) Tartaris peregrinae loquelae populis characteres mutuavit.

(130) Arabicae linguae parem vetustate locum tribuimus cum Chaldaica, (131) alterum vero si de ipsius cum Hebraica affinitate loquamur. (133) Mirum autem est, spatio trium fere annorum millium, loquelam susque deque iactatam, barbararum gentium incursionibus saepe concussam, populorum vagantium consuetudine agitatam atque transvectam, peregrinis loquelis saepe commixtam pristinam numquam indolem exuisse, atque adeo originis suae integra custodiisse vestigia. (133) Fatendum est tamen, cultiorem illam aevis novissimis apud doctores solum remanere, atque popularem inter ac litterariam linguam, et constructione grammatica, et ipsa significatione quanta diversitas intersit, propria experientia didicimus.

(134) Ab Hebraica lingua orta quoque fuit AEthiopica. (135) Et quia huius Epochae ignota est mihi, nota vero gentis vetustas, simul illam cum Arabica ortam fuisse censeo.

(136) Recentior est Samaritanae loquutionis origo, (137) atque a Cuthaeorum in Israelis terram colonis profecta. (138) A Chaldaica simul, atque ab Hebraea ortum ducit suum. (139) Et vetustior, et priscae Hebraeae proximior censenda est quam Syro-Chaldaica Dialectus. (140) Hac scriptum est Samaritanum Pentateuchum, cuius antiquitatem quum iactant reliquiae gentis illius, facum sibi faciunt, non nobis.

(141) Syriaca lingua, et Syro-Chaldaea, non tempore invicem, sed loco, (142) et natura differunt. (143) Illa a Chaldaica, et Graeca progenita (145) Antiochiae, Comagenae, et in vicinis tractibus (146) a tempore forsan Seleucidarum usque ad saecula Christiana viguit. (147) Ista orta ab Hebraea, Chaldaea, atque ipsa Syriaca (148) apud Iudaicam gentem eo ipso saeculorum curriculo obtinuit. (149) Illa conscripta fuit antiquissima Bibliorum Antiochena translatio. (150) Hac Targumim Onchelosi et Ionathanis, Matthaei Evangelium, ac Epistola Pauli Apostoli ad Hebraeos exarata fuerunt. (151) Ipsam denique Christus Dominus, quum in terris ageret, ore suo decoravit, atque sermone vulgari veluti sanctam fecit.

Plura L. consulto praeterii, quum ab initio iam non dissertationem contexere, sed Theses, easque Philologicas, serio constituerim; tum etiam quia nonnulla tenebricosissima esse perspexi, nec nisi ancipiti mente etiam a sollertissimis exposita Philologis. Quare, et dubiorum, et explicandorum loco, congruum fore duxi haec subnectere

CC. PP.

I. Quas *de litterarum origine in aureo suo opusculo assertiones profert Hugo Hermannus, propugno.*

II. Ill.mi Francisci Perezii Bulerii de Numis Hebraeo-Samaritanis *interpretationes et placita defendimus.*

III. Eiusdem de litteris, et sermone Phoenicum *Dissertationem Regiae Hispanicae Sallustii translationi adiectam adiungimus.*

IV. Quae Bonifacius Finettut in suo Italico opere de la lingua Ebraica é sui affini, Rabbinica, Caldaica, Syriaca, Samaritana, Phenicia, Arabica, Ethiopica, Amharica *statuit, statuam, quae de singulorum Dialectorum diversitate explicat, explicabo.*

V. Alphabetorum subsequentium characteres: Hebraici vulgaris, Rabbinici, Strongylli, et Mendaitici, Samaritani utriusque, Syriaci, Arabici, Palmyrenici, Phoenicii, AEthiopici, utriusque Illyrici, Armeni, et Graeci, sive novi, sive Cadmaei, assignans uniculque singularem potestatem, dignoscam.

VI. Quae de vera, et genuina Graecorum litterarum pronuntiatione tradit Lancelotus in suis Graecae Linguae Institutionibus quas titulus: Nouvelle Methode pour apprendre facilement la Langue Greque, contenant, *certos quoque tradimus et propugnamus. Verum et contrarias sententiae assertores neque consectari umbrat, neque larvas complecti, plurimis demonstrabimus.*

Vt vero in Dialectorum studio, atque Orientalis loquutionis intelligentia, quo omnis labor noster collimat, et quorum hactenus habita, non nisi vel praeludia sunt, vel ornamenta, candide prodam, quid profecerim: subsequentium librorum paginam quae sorte obtigerit, in latinum sermonem transferam; eamque reddam rationem Grammaticam, H. L. quae mediocrem et loquelae indolis, et verborum constructionis, et unicuiusque vocis intelligentiam notam faciat. Neque enim post plus et olei insumti, et navatae operae penitissima illa me linguarum adyta penetravisse iactaverim. En tibi igitur librorum Elenchum.

EX GRAECIS.

Opera Homeri Epica.
Pindari Lyrica.
Sophoclis Tragica.
Theocriti Bucolica.
Thucydidis Historica.
Isocratis Oratoria.
Vetus et Novum Testamentum.

EX HEBRAICIS.

XXXVII. Qui extant Sacrorum Bibliorum libri, hoc ordine.

Pentateuchum Mosis.
I. Iosue., Iudic., et Ruth.
I. et II. Samuelis.
I. et II. Regum.
I. et II. Paralipom.
Esther et Iob.
Psalmi et Cant. Cant.
Parabol. et Ecclesiastes.
Isaias.
Ieremias cum Baruch.
Ezechiel.
12. minores Prophetae.

EX CHALDAICA PARAPHRASI.

Genesis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteronomium.

EX SYRIACA TRANSLATIONE.

Matthaeus.
Marcus.
Lucas.
Iohannes.
Acta Apostolorum.
Epist. Paul. ad Roman.
I. et II. ad Corinthios.
Ad Galatas.
Ad Ephesios.
Ad Philippenses.

EX ARABICIS.

XXXVII. Lokmani Sapientis Fabulae.

Atque hoc iuvenilis operis proprio marte susceptI et Insequuti specimen, quo ad Sacrae Disciplinae, (in quam incumbimus) penetralia viam facimus, benigno DD. iudicio commendamus.

Imprimatur.
Dominicus Marcarius et Segarra
Univ. Pro-Rect.

F. Camarasa
Cens. Reg.

Lemp. 52-9/f